



ac excellentius nescio, quid de re queat infinita dici, quam quod in illa plura inueniantur, quae pariter atque aequali modo veri Dei essentiam participant. Vera rei magnitudo ac excellentia, vt hoc iam nos philosophi solent docere, in bonitate consistit, quae ex re posita in alteram dimanat. Maxima ergo, immo excellentissima tunc demum res dicenda est, si, quam essentiam infinitam ipsa possidet, eandem etiam et vnicam numero cum aliis, sicut hoc Deus pater fecit, communicet. Quod ipsum omnes Theologi concedunt, qui personarum trinitatem ex infinita Dei bonitate illustrare atque a repugnantia liberare eam animo religioso voluerunt. Quid tandem itaque non metuent?

§. XIII.

Non a proposito me, talia dicentem, aberrare, passus sum. Memineram, hoc nobis esse propositum, ne, si concederentur quidem Socinianis quaedam, detrimenti quicquam vera inde diuinitas Christi capiat, et, quum quibusdam forte minime videbatur, tum maxime per ipsa placita Socinianorum diuinitatem Christi probauimus. Pergam autem eo, quo coepi, ordine, Christi diuinitatem per ipsa concessa Socinianorum stabilire, et me ad IV. *Sectionem* Catechismi, *de cognitione Christi*, nunc conuerto. Tota illa Sectio, qualis est cumque vno tantum absoluitur *capite*, quod *de Persona Christi* agit. Maximum vero argumentum esse potest, Socinianos ipsos veram Christi diuinitatem, tacitos, concessisse.